

Handwritten text in Gothic script, possibly a library or collection number, located in the top right corner of the book cover.

Handwritten text on a small octagonal label, including a stylized initial 'Jf' and the number '2148'.



Seas guta s^m

7 Wälffgen und 13. Hühnlein.

400
mit dem
Kerker
und dem
Kerker
und dem
Kerker



Sum
ex libris
Johan: Frid: Kotze
ani, dono accepi
DN. Heinricho Reingast
Tutori meo vobis
venerabilissimo.
Anno 1645.

Na. 16.

927
C A R C E R E S
C R O C I N I A N I,

Hoc est,

Brevis, vera & non

fucata narratio, quibus modis
Matthiam Crocinoſki, Christi Ec-
clesiæ Richnovii in Bohemiâ olim Pa-
storem, causâ confessionis cœlestis ve-
ritatis in carceribus Pontificii & Je-
suyitæ Anno Christiano 1636.

tractârunt,

*Publici juris facta ab
eodem.*

MATTHIA CROCINOVVSKY,
Christi Exule.

ANNO SALUTIS HUMANÆ

M. DC. XLIV.

Typis Hæredum Gregorii Ritzschii.

OPARONER
GROBMAIER

Bezirksamtsamt

Das Amt
hat die Ehre
zu erklären
daß die
unterzeichneten
Personen
als
Bezirksamtsamt
bestellen
sind.

MATTHEI
1811

M. D. C. XLIV
Theil





*Christiano Lectori salutem
precatur.*




CHRISTUS, Salvator mundi, Lector benevole, Jesu vitas, postremum diaboli foetum, praedicens & depingens, Matth 7, 15. dixit: *Cabete vobis à Pseudo-Prophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces.* Illi enim vitam Jesu simulant, & contra Jesum in pugnam descendunt, Athan. orat. 2. cont. Arrian. Nam simulant vitae sanctitatem, innocentiam, castitatem, & puritatem: blandissime loquuntur, & amicissimis verbis plurimos seducunt: in divinorum donorum excellentiam gloriantur, & singularem eruditionem ac scientiam jaectant: Apostolica, sed non Apostolicè intellecta, allegant, seu Sacras Scripturas perverse citant, & illis suos errores palliant: Sunt Sophistae, & speciosis argumentis pios, doctos & indoctos, decipiunt: Non sine lachrymis sua dogmata omnibus persuadere conantur: Et sic oves Christi capiunt, rapiunt, dilaniant, devorant, & omnes illius sententiae sunt, quod, quos pro haeticis agnoscunt, gladio sint puniendi.

Expertus sum illorum neqvitiem & tyrannidem & ego, Christi Confessorum minimus, Anno à Virginis partu 1636. in molestissimis foetidissimisq; carceribus: quorum ideam & delineationem Tuæ Charitati & Pietati sinceramente offero, ac ut illam à me, facultatibus privato, supellectili exuto, charissimarum (uxoris & unicæ filiæ) crudelissimè in Bohemiâ occisarum, horrendo exitu excruciato, diuturnis periculosissimisq; morbis emacerato, & nonnullis calamitatum ac persecutionum procellis exagitato, Christi exule, innubi animo suscipere, sinceris oculis inspicere, pio cordi insculpere, meq; senem, Teutonici sermonis ignarum, Christianâ charitate tibi commendatum habere, à dolis, imposturis, fraudibus & diabolicâ crudelitate ac tyrannide Jesuuitarum cavere velis, obnixè oro. Vale in Domino.

*Matthias Crocinowski,
Christi exul.*

CAR.



CARCERES CROCINIANI,



Vod olim eleganter
& piè in suâ oratione, fer-
venti corde & ore, Anna
Helcana, Samuelis Prophe-
tæ mater, dixit: *Dominus mortificat & vi-
vificat, deducit ad inferos & reducit*: id in
me indigno Christi servo comprobatur.
Nam Anno 1636. à quodam Matthiâ
Horak, impio rustico pagi Wrany, uno
milliari à civitate Turnow distante,
proditus, circa tertiam noctis horam
die Sabbathi, præcedente sextam S. S.
Trinitatis Dominicam, qui erat Dd. Pe-
tro Paulo sacer, à Paulo Monacho (Tur-
noviensi Decano) multis armatis sociis
stipato, in pago Borek, dimidio millia-
ri à nominatâ civitate sito, captus, nihil
aliud expectavi, quàm aut violentam

crudelemq; mortem, aut perpetuos carceres, & hâc ipsâ nocte in publicum Turnoviensem carcerem conjectus eram. Ille Monachus, sive Decanus, hoc ipso momento, in meâ præsentiâ, omnes meas reculas proprio sigillo munivit, & meo hospiti severissimè mandavit, ne quid amitteretur, aut quocunqve transferretur.

Sequenti die, id est 29. Junii, non habitâ ratione diei Dominici, in eundem pagum, Borek, cum campanatore (Venceslao Schlehta) & nonnullis famulis, proficiscebatur, vaccam abduxit, & planè omnem meam suppellectilem curru imponi, ac in suam Parochiam transferri curabat: quædam pro se reliquit, quædam partim Campanatori donavit, partim inter suas coqvas, id est, concubinas, distribuit: Ego cum meis mœstissimis (uxore Catharinâ, filiâ Annâ-Catharinâ) famem pati cogebam, omniq; suppellectili privatus, nec vestitum habere poteram.

1. Julii, compedibus vinctus eram.

2. Ju-

2. Julii, advolavit Turnovium S.R.M.
Commisarius, Religionis Reformator,
Illustris Zdenko Comes de Colowrat:
coram quo bis, nimirum 2. & 4. Julii
comparui: ubi ille Decanus me multis
austeris verbis accusabat, & S.R.M. *re-*
bellem, publicæ pacis osorem, rusticorum,
turbatorem, salvificæ Catholicæ religionis
impedimentum & hostem, diaboli instru-
mentum, seditiosorum Capitaneum, & o-
mnis mali auctorem ac fontem nominavit.
Immoderatis etiam clamoribus me
molestavit, me esse fidelissimum socium cu-
jusdam heretici, Timothei Pauli, hominis
fanatici, qui diabolicas revelationes disse-
minavit, infantes, à Catholicis Sacerdoti-
bus baptisatos, rebaptisavit, & docuit, quod,
quicumque à Pontificiis baptisantur, chara-
cterem bestie accipiant, & qui non fuerint
rebaptisati, illos in aeternum perire. Quibus
omnibus ego, divino adjutus auxilio,
attestante mihi salvâ & illæsâ conscien-
tiâ, apertè & animosè resistebam, DEUM
& omnes, quotquot sunt inter morta-
les, in testimonium vocabam. Tandem,

quia ille Decanus nullum contra me te-
stem producere poterat, Illustris Co-
mes, tanquam S. R. M. Commisarius &
Religionis Reformator, mutavit sen-
tentiam, meq; prolixè, humaniter &
amicis sermonibus hortabatur, ut, re-
lictâ Lutheranâ heresi, salvificam Catholi-
cam religionem amplecterer. Promittebat
etiam, si monitis ipsius morem gessero, se
mibi fidelissimè affuturum, & de honestissi-
mo officio, ex quo, dum hujus lucis usurâ
fruar, lautissimè vivere possim, diligen-
tissimè provisurum: Si verò Catholicam
religionem amplecti noluerò, se Pragam me
misurum, ubi me severius tractabunt, car-
ceribus, fame, siti, enecabunt, & sic in tri-
stissimum statum conjicient. Adjecit etiam
hanc comminationem; Et tùm tua stul-
titiæ te serò pœnitebit. Cùm autem anim-
adverterent, se nihil proficere, & me
nec promissis, nec minis flecti posse,
remiserunt me in carcerem. Jam nulla
spes liberationis restabat. Quare Illu-
strem Comitem per supplicem libellum
humilimè sollicitavi, ut me dimittere
di-

dignaretur: Et promittebam, me in Germaniam recta iturum, nec diutius in Bohemiae finibus mansurum. Qui, elapsis aliquot horis, circa vesperam, hoc, per tres primarios servos, Latinum responsum ad me remisit; Mi Matthia Crocinowsky, scriptum tuum mihi ad manus perventum. Certè doleo te esse ita obstinatum, & malle in Germaniâ fame perire, & de animâ (quæ est pretiosior aurô) jacturam facere. Rogo & admoneo te per viscera Christi, Salvatoris nostri, rem benè ponderes, & cogites æternitatem, cures te instrui, & proponas tua dubia, quæ tibi in Catholicâ nostrâ salvificâ religione videntur esse dubia. Solventur tibi illa, & tu (si prudens es) sapiens, & relicta hæresi, orthodoxam fidem Catholicam recipies. Si hoc feceris, DEO beneplacitum opus feceris. Et ego pro Personâ meâ te, & tibi adjunctos, & ad te pertinentes, in omni necessitate juvare conabor, & promitto. Vale, & rem cordi sumas. Turnoviæ 4. Julii Anno 1636.

Tuæ animæ fidelis promotor ad salutem,

Zdenko Comes de Colowrat,

A S

7. Ju

7. Julii, summo mane significatum est mihi, Decanum Pragam iter suscepturum, & me secum avecturum. Ante meridiem itaque extra portam curru vectuseram. Interim Decanus domum Georgii Genik, Quæstoris Petrensis (Notarius Skalsky vulgò appellabatur) ingressus, epulabatur, animum musicâ recreabat, saltabat. Nocte ingruente demùm rediit. Cùm verò circa mediam noctem in oppidum Monacho-Græcium pervenissemus, statim apparitorum accersivit: qui compedibus injectis me vicinæ mensæ applicuit.

8. Julii, relictâ in dextrâ Neo-Boleslavâ, Brandesium delati sumus. Ibi Joannes Donatus, Civis Turnoviensis, meus custos, per integram noctem sclopetum & accensum funiculum manu tenebat, & me, ne aufugerem, præ foribus observabat: Decanus autem ad meum latus decumbebat, & strictum gladium penes se habebat.

9. Julii, appetente die Pragam prope-
ravimus. Micro-Pragæ Decanus Gene-
ralem

ralem Visitatorem quæsit, sed non invenit. Ideò recepimus nos in ejus hospitium à pisis (v Hradu) dictum, ubi per integrum diem custoditus, vespere in quandam cellam benè munitam misus eram.

10. Julii, deducebar in Hradschan, in domum Cardinalis ab Harrach, Archiepiscopi Pragensis. Paulò post, descendit quidam proceræ staturæ Sacerdos, qui durissimis verbis usus me vexavit, & inter reliqua hæc protulit: 1. *Siquidem non nesciebas te, & tui similes, esse banisatos proscriptosq̃, cur in Bobemiâ latitasti?* Respondi: *Paupertas, durum telum, me coëgit eo in loco commorari, in quo commodius vivere, meosq̃ sustentare valeam.* 2. *Quid, si suspendaris?* Respondi: *Sortes meæ in manibus DEI sunt, cujus dextera omnia mutare potest; Potest & me liberare.* 3. Vultu tetrico & superciliis contractis dixit: *Eas ad carceres.* Custodi carceris autem severissimè interdixit, ne meas, uxorem aut filiam, ad meum colloquium, vel saltem aspectum,

atum, admitteret, sed cibum & potum,
ab illis procuratum, ipsa ad me defer-
ret.

NB. Dum in Cardinalitio carcere
hæsi, nemo Jesuuitarum, nemo Mona-
chorum me accessit, sed illa anus, car-
ceris custos, quotidiè instando hortaba-
tur, *ut me liberem, & per supplicem libel-
lum meam culpam apud Reverendissimum
& Illustrissimum Cardinalem deprecarer:*
*esse illum Principem clementissimum, mitis-
simum, ad condonandam culpam facilimum,
& benefactorem munificentissimum.* Tacen-
do illam dimittebam.

16. Julii, undecimâ dimidii horolo-
gii horâ vocatus, coram Judicibus in
Cardinalitio Consistorio comparui.
Ibi ad mandatum Consistorialium ju-
ramentum præstiti, *me omnia revelatu-
rum & nihil occultaturum,* de quibuscun-
que interrogatus fuero.

NB. In juramento non cogebant me
ad invocationem Beatæ Virginis Ma-
riæ, aut Sanctorum, sed solo DEO con-
tenti erant. Non enim ignorabant, me

à ta-

à tali juramenti formâ abhorrere. Quod sine omni dubio disponente DEO factum est.

Post juramenti interpositionem, locum, in quo stare debeam, monstrarunt, & prolixè multas quæstiones proposuerunt: inter quas sunt præcipuæ hæ sequentes;

1. Cui religioni à meâ juventute adhaeserim? Respondi: Christiano-Evangelicæ, quam vulgò Lutheranam vocant.

2. Num aliquando Catholicus fuerim? Dixi: Catholicus quidem semper fui, & jam sum: sed non modernæ Romanæ religionis. Quam religionem mei Parentes coluerunt, illam & ego colo, & DEUM toto corde oro, ut me in illâ unicâ usque ad extremum vite mee balitum conservare & confirmare dignetur.

3. Quando, ubi, per quem ad munus Predicatorium sum ordinatus? Respondi: Paleo-Pragæ in Cathedrali Templo, cujus nomen Teyn: per p. m. Reverendissimum Virum, D. Eliam Schudum à Semanina, Consistorii Evangelici Administratorem:

idq̄ circa festum D. Georgii Anno
1612.

4. Quo in loco illo officio functus fuerim?
Dixi: Neo-Boleslavii, Polnae, Nymburgi,
Richnovii.

5. Sibi à Decano Turnoviensi injun-
ctum esse, plures inter Sudetes montes
latitare Prædicantes: Quibus in pagis sint?
Respondi: Hoc me laet. Sed, cum essem
in Turnoviensi carcere, me audivisse, omnes,
me capto, dispersos esse, & se Zittaviam Lu-
sationum contulisse. Adjeci & hunc ver-
sum:

Felix, quem faciunt aliena pericula
cautum.

6. Num velim Catholicam religionem
amplecti? Respondi: Jam quinquagesi-
mum tertium annum ago: à pueritiâ in
Evangelico-Lutheranâ religione me exerce-
bam: non multum tamen profeci, & meam
imbecillitatem agnosco. Ad hanc meam
Responsionem Secundus à Primo dixit:
Tua senectus te non impedit: Etiam illi, qui
annis & aetate te praeunt, nostram religio-
nem amplectuntur. Exemplo est quidam
Geor-

Georgius Stephanides Chrudimenus, tuus
Sympatriota, & nonnulli alii Prædicantes.
Dixi: Meum cerebrum debile, & memoria
enervata est, nec docere, nec doceri possum.
Tum ille: Eligentur duo vel tres docti viri,
qui te in spatio duorum vel trium dierum
informabunt. Respondi: Multæ meæ cu-
ræ & miseriæ me ad omnia ineptum red-
dunt: vereor, ne pristinam religionem ob-
livioni tradam, & vestram non addiscam.
Ad hæc quidam, qui sexto vel septimo
loco gaudebat, in hæc verba prorupit:
Nostra Catholica religio non est tam diffici-
lis, ut vestra Lutherana: tantum te infor-
mari patiaris. Primarius denuò os ape-
ruit, dicens: Miror tuam stultitiam: Pos-
ses in tuâ senectute quietus vivere, honestum
officium nancisci, satis lautam sustentatio-
nem habere, & tuis bonis uti. Cur tam du-
ræ cervicis homo es? Mavis in Lutherana
heresi perseverare, in Germaniâ mendicare,
risui & opprobrio expositus esse, fame mace-
rari, quàm salvificæ & Catholicæ religioni
adherere. Diligenter recogita, quomodo ti-
bi & tuis de victu & amictu in posterum
opti-

optimè prospicere valeas. Respondi: Et
Moses protulit opprobrium Christi omnibus
divitiis Ægypti: immò, omnes sancti pluris
fecerunt paupertatem & ignominiam, pro-
pter nomen Christi illis illatam, quàm digni-
tates, opes, & gloriam mundi. Bonum est
cum Christo in deserto esse.

Hucusque me humaniter & quieto
animo alloquebantur: idq; duravit per
integram horam. Tandem, mutato vul-
tu, ille Secundus à Primo, rigidior fa-
ctus, hæc verba protulit; *An nescis tales
nebulones Lutheranos esse suspendendos?*
Cui humilimè respondi: *Vias meas Deo
commendo: In vestrà potestate hæreo.
Certus tamen sum, & nullus dubito, DEUM
esse meum misericordem defensorem: nihil
mali mihi accidere poterit, nisi quod manus
ejus disposuerit.* Sic me in pristinum car-
cerem remiserunt, & duriora expectare
jusserunt.

17. Julii, Catharina mea uxor, cum
non posset meum aspectum & allo-
quium impetrare, & reputans non be-
nè mecum agi, contulit se Pirnam Her-
mun-

mundurorum, & tandem Dresdam.⁷
Ubi, usa piorum & bonorum virorum
consilio & auxilio, impetravit pro di-
missione mei Clementissimam inter-
cessionem à Serenissimo Saxoniae Ele-
ctore ad Illustrissimos S.R.M. locum te-
nentes in Regno Bohemiae.

27. Julii, mea uxor, Dresdâ reversâ,
per custodem carceris mihi significari
curavit, *sibi omnia ex sententiâ successisse.*
Anus tamen illa, quid loquatur, nescie-
bat.

28. Julii, jussu Cardinalis ab Har-
rach, Prætor Neo-Pragensis, Simon
Topynka, ingressus est domum Archi-
Episcopalem, & Secretarius Bohemi-
cus me evocatum aliquoties interro-
gavit, ut, priusquam Politico Magistra-
tui traditus fuero, perspicuè & manife-
stè, sine omnibus ambagibus, meam
mentem explicarem, *num Catholicam
religionem amplecti velim?* Me constan-
ter negante, nomine Cardinalis &
Consistorii Prætori mandavit, *ut me se-
cum abduceret.* Consenso itaque curru,
ad

ad Neo-Pragensem Curiam delati sumus: ego in quandam cellam detrusus, in discrimine vitæ constitutus eram. Vesperâ appropinquante, duo Jesu vitæ, cellam ingressi, me visitarunt, consveto more humaniter salutarunt, & sine morâ disseruerunt *de Cœnâ Domini, conantes probare, illâ esse utendum tantum sub unâ specie.* Ad confirmandam suam sententiam existimabant se hoc firmisimum & inexpugnabile argumentum habere: *Ubi est corpus, ibi & sanguis.* Quibus respondi: *Illud quidem esse verum, respectu nostri naturalis corporis: sed respectu Cœnæ Domini falsum: De quâ non aliter debemus sentire & loqui, quàm ex propriâ institutionis sede. Nemo enim Christo doctior, nemo sapientior est: Ille solus noster Magister & Doctor est, & solus audiendus. Ille præcipit, ut seorsim edamus ejus corpus pro nobis traditum: & seorsim bibamus ejus sanguinem, pro nobis in remissionem nostrorum peccatorum, effusum. In hoc tam arduo Christiane fidei negotio, non esse nostram rationem consulendam, sed*
ver-

verbis Domini acquiescendum. Item, nemini licere in Sacramentis aliquid mutare, addere, detrabere. Cùm & ipse Dominus, post suam in cœlos ascensionem, D. Paulum, in tertium cœlum raptum, ad primam institutionem remisit. D. Paulus etiam suis auditoribus Corinthiis, & omnibus fidelibus, sic tradidit, sicut à Domino accepit. Quare Christi institutioni esse adherendum, si volumus fideles mysteriorum ejus dispensatores inveniri. His auditis monebant me, ut perpendere, cur me Deus hunc in locum adduxerit: nimirum, quod me hac ratione ad salvificam & Catholicam religionis cognitionem pertrahere velit. Respondi: Unius rei possunt esse plures fines. Obnixè etiam illos rogavi, ne me molestarent & inquietarent. Illi, videntes se in vanum laborare, turbatâ mente discesserunt, nec me amplius visitarunt.

29. Julii, animo volentes Jesuivitæ Collegii Novæ-Pragæ, illos duos nihil profecisse, alios subornarunt, ejusdem Collegii Patres. Quorum primarius erat P. Martinus Bauda, qui quotidie
in-

integram horam consumpserunt in exquisitissimis mei turbationibus. Bauda solus loquebatur, alter rarissimè os aperuit. Primùm semper me humanissimè salutare & amicissimè alloqui solebat. Sed cùm me immobilem videret, diabolicis convitiis, calumniis & criminationibus me proscindebat, clamabat, solus audiri volebat, audire nolebat, omnia confusè egit, ex uno malo in aliud ruebat. Ego primùm cogitavi, me meâ taciturnitate victorem evasurum: verùm ille meo silentio abutebatur, illudq; sinistrè interpretabatur, *quod non possim respondere*. Ideò monebat me, *ut paratus sim ad confessionem eandem, & palinodiam canendam*. Cæpi itaque loqui, & dicebam: *Quomodo tibi debeo respondere, siquidem solus semper loqueris, me respondentem impedis?* Illo itaque lovente, loquebar & ego: & ita nostros sermones miscuimus, ut sæpè alter alterum vix audire potuerit. Fuimus similes rusticis, in tabernâ helluantibus, & stentoreas voces extollentibus.

bus. Erant autem ejus hæ præcipuæ calumniam;

I. Tu es hereticus: Diabolus te, quò vult, ducit, & per te loquitur. Cui respondebam: Meus Salvator dicit: Beati eritis, cum maledixerint vobis homines, & locuti fuerint omne malum contra vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Christum, Salvatorem meum, Judæi etiam appellabant *Dæmoniacum Samaritanum*.

II. Tu non debes Sacras Scripturas interpretari, sed debes contentus esse explanatione Ecclesiasticâ (Papæ.) Nam non es Sacerdos, sed Laicus. Respondebam: Ego sacris Scripturis adhareo: illæ sunt perspicuæ, lucidæ, & non opus habent humanis glossis. Si autem alicubi obscuræ videntur, tùm certè alio loco explicantur & illustrantur: Scriptura Scripturam explicat. Spiritus Sanctus est optimus interpret suorum verborum. Ideò ad Legem & Evangelium ablegamur: Dominus Jesus jubet nos Scripturas scrutari: Abraham fratres epulonis remittit ad Moysen & Prophetas. Qui Scri-

ptis

pturas sacras sinistrè interpretatur, illum
nos audire nolumus, sit ille vel Papa, vel An-
gelus de cælo.

III, Tu es peior quovis malefico & fla-
gitioso homine: & quicumque qualiacumque
maleficia & scelera perpetraverit, melior
est te: Nam omnes malefici & facinorosi
tantum humana corpora interficiunt, & cor-
poribus nocent: sed tu multa millia anima-
rum seduxisti, occidisti, & in æternos infer-
ni cruciatus præmisisti, ut antehac, ita cum
esses in Cathedrali Paleo-Pragensi templo
cum illo M. Samuele Martinio. Tu reverà
es filius perditionis. Respondebam: In
extremo iudicio ille justus Iudex, Christus
Jesus, justè iudicabit, & inter nos discer-
net, num nos Evangelico-Lutherani, vel vos,
qui Romano-Catholici nominari gaudetis,
homicide fuerimus. Nos solis sacris Scriptu-
ris addicti sumus, juxta illas docuimus, in
illis Salvatorem mundi quæsitimus & inve-
nimus, scientes in illo solo omnium nostrum
salutem repositam esse: nec alios intercesso-
res, mediatores, advocatos apud cælestem
Patrem habemus, vel habere volumus. Tum
Bau-

Bauda semper me condemnabat, in infernum relegabat, & clamabat: *Diabolus ex te loquitur, tu ejus instrumentum & primogenitus filius es.*

IV. Tu jam in profundissimo infernalium poenarum loco cruciaris, & hoc in mundo nihil aliud, nisi spectrum es. Itaque age poenitentiam, ad Confessionem & tuorum haeticorum errorum revocationem, ac abjurrationem te prepara: Nos pro te orabimus, & Missam celebrabimus, ut Deus, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, tui misereatur. Quod si non feceris, nullam ratione salvari poteris. Respondebam: 1. Spiritus carnem & ossa non habet. Ego carnem & ossa habeo. Quomodo itaque Spiritus aut spectrum esse possum? 2. Per vestras Missas, & mediantibus illis, salvari nolo. 3. Noli ante tempus judicare, usque dum venerit Jesus Christus, cordium scrutator: coram quo nihil est absconditum, cui omnes profundissima cogitationes hominum perspectissima & notissima sunt. Ille solus est constitutus à DEO Judex vivorum & mortuorum. Potius tu tui cu-

rans

ram habe, & vide, quomodo coram illo poteris stare, ne in foveam, abs te mihi paratam, cadas. Ego, dum vivam, DEO meo serviam, & certus sum, illum me ab inferni cruciatibus liberaturum, coronam immarcescibili, mihi & omnibus fidelibus promissam, coronaturum. Diabolus & infernus nihil in me juris habet, nec habebit.

V. Tu dicis, te DEUM invocare: sed orationes tuæ sunt execratae: Nam DEUS peccatores non audit: nec tuas preces exaudiet, nisi penitentiam egeris. Respondebam: Scio, DEUM peccatores non audire: sed impoenitentes. Ego autem sum peccator penitens, & firmissimè credo, DEUM Patrem propter JESU CHRISTI, Filii sui unigeniti & dilecti, acerbissimam passionem, ignominiosissimam mortem, & sufficientissimum precium, meas preces audire, illiq; acceptas esse. Talem penitentiam, quam vos postulatis & expectatis, nunquam agam.

VI. Tu non es Sacerdos, quia non es legitimè ordinatus, ritu Catholicorum, ab ordinario Episcopo, sed à Prædicantibus hæreticis, à Catholicâ Ecclesiâ excommunicatis
& da.

Et damnatis. Respondebam: Gratias ago DEO meo, quod ad Sacro-sanctum Ecclesiasticum ministerium sum ordinatus, non ritu Papistico, sed juxta Canonem Apostolicum, Et ritum Ecclesie Christiano-Evangelicæ: idq; præeunte legitimâ vocatione, solenni examine, Et subsequenter publicis orationibus, manuumq; impositione. Qui eo ritu Et modo ordinati sunt, illi legitimi Sacerdotes sunt. Cùm hæc dixissem, tùm Baudæ socius, à tergo stans, hæc verba protulit: In Germaniâ Predicantes non appellantur Sacerdotes, sed Pastores Et Ministri Ecclesiarum. Respondi: Illa vocabula, Predicator, Pastor, Minister Ecclesie, Sacerdos, sunt synonyma, unum Et idem notantia, Et sunt nomina dignitatis ac officii sacri.

VII. Tu es homo impurus, ideò, quia vis appellari Sacerdos, Et habes uxore: cùm tamē conjugium Sacerdotibus sit prohibitum. Nos non ducimus uxores, sed in cœlibatu usque ad mortem perseveramus. Respondebam: Prohibitio illa facta est à Papa, non à Deo.

B

DEUS

DEUS enim conjugium instituit pro omni-
bus hominibus, qui ad illud idonei sunt, &
donum continentiae non habent. Tales ple-
rique sunt inter Evangelicos Pastores. Inte-
rim, Ministris Christi Ecclesiarum licere
matrimonium contrahere, nos Scripturis,
& exemplis sufficientissimè probare possu-
mus: vos contrarium nunquam probabitis.
Honorabile est apud omnes conjugium, &
thorus immaculatus: Scortatores autem,
& adulteros judicabit Deus. Vos prolixè,
gloriosè, atque excellenter vestrorum Sacer-
dotum castitatem & cœlibatum depradica-
tis: Sed in quem finem cogvas alunt? Re-
verà sunt concubinae. Adhæc Bauda di-
xit: Quis illas alit, aut fovet? Respon-
di: Debebas, Domine, quæsisse, quis Sa-
cerdotum illas non babeat? Nonnulli re-
periuntur, qui, unâ non contenti, duas vel
tres habent: Sicut & ille Paulus, Decanus
Turnoviensis, uno & eodem tempore tres
habuit: unam juvenculam, alteram pro-
vedtioris ætatis, tertiam vetulam. Jam
diligenter perpende, qui sunt impuri, num
vos

vos cœlibes, vel nos in legitimo matrimo-
nio viventes? Conducibilius & sanctius
est, juxta institutionem Dei, honestam, le-
gitimam & propriam uxorem alere, quàm
mœchari, cum scortis volutari, impiam &
impuram vitam ducere.

VIII. Ille Lutherus, cujus tu doctri-
nam sequeris, quis erat?

1. Archihæreticus, & omnes moderne
hereses ex illo, tanquam ex foetidissimo &
venenatissimo infernali fonte, promana-
runt. Respondi: Hæc nunquam proba-
ta sunt, nec tu probabis. Hæreses autem
ortæ sunt non vitio illius doctrinæ, sed mali-
tiâ diaboli, qui semper seminat zizania
inter eriticum.

2. Erat perfidus, violatâ fide factus est
profugus & Apostata. Respondi: Agnitâ
ex sacris literis sacrâ doctrinâ, fecit, quod
sua saluti, immò toti Christianæ Ecclesiæ,
conducibile fuit.

3. Catharinam, virginem Christo conse-
cratam, stupravit, & cum illâ per totam
suam vitam scortatus est. Respondi:

Legitimum cum illâ matrimonium con-
traxit: Et sic inter illos, non scortatio, sed
legitimum conjugium erat.

4. Legitimum matrimonium esse non
potuit, siquidem illa Christo, suo Sponso, de-
sponsata fuit, illiq; fidem dedit. Respon-
di: Omnis verus, & sincerus Christianus
sponsa Christi, & Christus ejus Sponsus est.
Illa Catharina, dum in monasterio vitam
egit, monialis fuit, sed postquam eluctata
esset, & monasterium, Sancto Spiritu mo-
nitore, instigatore & ductore, reliquisset,
erat marita Lutheri. Sponsa tamen Chri-
sti esse non desit: In vero enim Christia-
nismo per omnes sue vite dies persevera-
vit, & in extremo mortis articulo animam
Christo, suo Sponso, commendavit.

5. Lutherus est in inferno. Dixi:
Quomodo illud probabis? Quos testes pro-
duces? Respondit: Cur quæris? Num-
quid talis impostor & Archihæreticus sal-
vari potest? Diabolus illum enecavit, tan-
dem etiam ejus corpus abstulit, & vacuum
loculum terre mandarunt. Respondi:
Ego

Ego non semel legi historiam de vitâ, mor-
te, & honorificentissimâ sepulturâ Luthe-
ri: nunquam tale quid inveni. Bauda di-
xit: Non dubito te legisse: sed quam Lu-
therani scripserunt. Iterum dixi: Ante
beatum ex hac miserâ & mortali vitâ
ejus discessum, ad illius manus pervenit
quoddam scriptum, typis in Italia excu-
sum: in quo continebatur abs te narrata
relatio: quod postmodum ipsemet Luthe-
rus sufficientissimè refutavit: & illam re-
futationem nonnulli pii legerunt, legunt,
& tu (si lubet) legere potes. Jam perpen-
de, quis mentiatur; num Lutherus, vel
scriptor illius ex Italia allatæ relationis?
Dixit Bauda: Sunt nobis ad manus cer-
tiores & fide digniores historie, quæ meum
sermonem confirmant. Respondi: Vos
illas historias pro certioribus & fide dignio-
ribus agnoscitis, quæ ex Italia in Germa-
niam allatæ sunt. Sed quomodo certe esse
possunt, siquidem tùm temporis Lutherus
hac vitâ fruebatur, & ad tam impudens
mendacium ipsemet respondebat? Hæc

Bauda silentio præteriit. Tandem
ejus damnationem, & ad infernales
cruciatus translationem probare co-
nabatur hac fictâ narratione: *Ante
breve tempus quidam nostrum Pater ejicie-
bat Constantinopoli ex quodam Turca de-
monium, & inter alia quæsiuit ex illo: Ubi
est Lutherus? Respondit diabolus: In in-
ferno. Ad hæc dixi: Ego diabolicum te-
stimonium non recipio: ille est mendax, &
pater mendacii, in veritate non stetit.*
Bauda dixit: *Diabolus adjuratus cogitur
verum fateri. Respondi: Ille vestras de-
testationes, execrationes, crucis signa, vel
quoscunque ludicros gestus, nihil curat. Im-
mò, diabolo nec vera loquenti credendum
est: omnia ipsius verba suspecta sunt:
Nam semper veritati miscet mendacium:
omnia ejus dicta ad eum scopum collimant,
ut Christianos à via veritatis abducatur, in
errores, falsas opiniones, idololatriam, tan-
dem ad æternum interitum perducere, aut
errantes in errore confirmare possit: Est
mille artifex, salutis humane hostis, quod
ipse*

ipse non habet, nec habebit, hoc aliis invidet, in filiis diffidentie operatur, & mentes infidelium excæcat. Qui non vult credere Christi veritati, credere cogitur diaboli mendaciis & imposturis. Nos autem devincti sumus Legi & Evangelio: debemus Scripturas scrutari, Moſen & Prophetas audire, in Lege Domini die ac nocte meditari, ſi beati eſſe volumus. Diabolus itaque in inferno maneat, nos DEO, ejus veritati, ac ſalutari verbo adharemus, firmiter credentes, nos non erraturos, ſed æternam ſalutem conſequuturos.

30. Julii, Bauda, poſt longas velitationes, in diſceſſu ex cellâ, exacerbato animo hæc verba protulit: Tantum ne incidas in deſperationem: paucis poſt diebus te comitabor, quò nolueris. Reſpondi: Ego vias meas DEO commendo, & paratus ſum hodiè, vel cras, hæc vel ſequenti horâ, mori: nihil mihi mali accidet, niſi quod Deus permiferit. Si voluerit, liberabit me ex hoc carcere, & tuis calumniis, criminationibus, convitiis, detractiõibus,

execrationibusq; : si verò suum nomen
meo sanguine glorificare voluerit, en ad-
sum : vestram religionem non amplectar,
sed in Christiano-Evangelicâ (quam vos
hereticam appellatis) religione, dum spiri-
tus hos reget artus, DEO me corroborante,
perseverabo. E vestigio custos carceris
me visitavit, &, lachrymas effunden-
tem conspiciens, mihi nunciavit: Sibi
esse severissimè mandatum, ne mihi aliquid
aliud ad edendum & bibendum submini-
straret, nisi panem & aquam, donec Ca-
tholicam religionē amplexus fuerim. Tan-
dem etiam cultrum meum abstulit,
ne meipsum occiderem.

31. Julii, dixi Baudæ: Tu dicis, te mei
informandi gratiâ me visitare. Ego verò,
non sine maximo cordis dolore, experior, te
nihil aliud agere, nisi me condemnare, dia-
bolo tradere, & in infernum mittere. Di-
xit Bauda: Non facio tibi injuriam:
quæcumque loquor, vera sunt. Nimis hu-
maniter te tracto. Talis pertinax & duræ
cervicis hereticus severius est tractandus.

Tu

Tu tuis seductionibus & homicidiis spiri-
tualibus promeruisti poenas, non tantum
temporales, sed etiam aeternas. Sed si pœni-
tentiam egeris, gratiam consequi poteris.
(Illa verba sæpius repetiit, & meum
turbatissimum afflictissimumq; ani-
mum devexabat.) Tandem adjeci:
Tuo etiam jussu custos carceris cultrum
meum abstulit, quasi facinorosus sim, &
mibi ipsi violentas manus inferre cogitã-
rim. Non est mihi ignotum mandatum
DEI: Non occides: quo prohibet omne
homicidium. Quis, innocens & illesâ con-
scientiâ gaudens, vellet sibi ipsi vitam eri-
pere? Dixit Bauda: Non est cur tibi
credam. Si ausus fuisti multa millia homi-
num spiritualiter interficere, auderes etiam
corporaliter te ipsum occidere. Respondi:
Non sum impostor, vel seductor: multo
minus homicida. Scio enim Apostolum di-
xisse: Neminem suum corpus odio habere,
sed quemlibet illud alere, nutrire, defende-
re. Antea coram te dixi: me paratum esse
ad subeundam mortem: Non dixi: Ego

B E

mi-

mibi ipsi vitam eripiam. Quis sanctorum
seipsum interemit? Nemo. Ego nullius
mali mihi conscius sum. Quicquid autem
patior & patiar, illud non propter mea ma-
lefacta & scelera, sed propter confessionem
veritatis Christi, Salvatoris mei unici,
fiet.

6. Augusti, tres Primores, seu pri-
marii Consistorii Adsesores, Officia-
lis, Generalis Visitator, & quidam
Doctor, splendidissimo comitatu, &
pluribus servis stipati, quibus adjun-
ctus erat Hieronymus Cruciger Pifæ-
nus ad S. Stephani Majoris Sacerdos,
à Cardinale ab Harrach emissi, curru
vecti, in curiam Neo-Pragensem ve-
nerunt, & meam foetidissimam cel-
lam ingressi, tetrico vultu percontati
sunt;

1. Ubi sit ille Prædicans, Timotheus
Pauli, cum quo ego contra S.R.M. & con-
tra totam salvificam Catholicam religio-
nem inter Sudetes montes rusticos concita-
bam, & illas diabolicas revelationes divul-
gabam?

gabam? Respondi: Ille nunquam meus
consors & socius fuit, nullam familiarita-
tem cum illo colui, sed & ore tenus, & per
litteras illum sepius hortabar, atque ab illâ
hæresi revocare studebam, sed nihil efficere
potui. Immò ille sepius præstatur,
se malle corpus suum ad comburendum tra-
dere, quàm illas divinas revelationes subtri-
cere & occultare, ubi verò ille jam latet,
me latere. Quod etiam meâ conscientia
& animâ confirmabam.

2. Ubi sint illa capita, vel potius gra-
nia, 21. Junii, Anno 1621. decollatorum re-
bellium, & turri Palæo-Pragensi in ponte
exposita, tandemq; 30. Novembris, Anno
1631. tumultuose, & non sine crimine læsæ
Majestatis deposita? Apposuerunt &
hæc: Non ignoramus, illa deportata fuis-
se in sacellum Templi Cathedralis, Teyn-
vulgò appellati. Tibi ad custodiendum tra-
dita erant: tu solus clavem Sacelli in tuâ
potestate semper retinisti. Ubi itaque se-
pulta sunt? Adjecerunt & commina-
tionem: Si nolueris locum sepultura re-
vela-

B 6

vela-

velare, se adhibitis tormentis veritatem exploraturos. Humilimè respondi: Non diffiteor, me clavem illius Sacelli semper habuisse, nec quenquam sine meo scitu illud ingredi potuisse: sed ubi jam illa *grania* sint, me ignorare. Sunt enim ex Sacello in Carolinum Collegium transportata. Ab illo tempore illa nunquam vidi, nec, quò delata sint, scio. In templo tamen sepulta non sunt.

3. Hieronymus Cruciger periculosissimum crimen mihi intendebat, & me coram illis furiosè accusabat: quòd ante aliquot annos turbas propè Turnovium, cum superius nominato Timotheo, excitarim, rusticorum ductor fuerim, Matthiam Sacerdotem Catholicum, ope seditiosorum, interfecerim. Affirmabat etiam, se contra me vel centenos, fide dignissimos testes producere posse. Respondi: Domine Hieronyme, illud nunquam probabis. Ego tùm temporis Zittavia Lusatorum commorabar. Quod sufficientissimè probare possum. Postquam multis
ini-

iniquissimis cavillationibus, criminationibus & convitiis me lacerasset, os compescuit.

Illud tam acerbum & asperum examen per integram horam duravit, meumq; tristissimum ac afflictissimum animum crudelissimè turbavit & exagitavit. Cùm, quod voluerunt, nec hac ratione obtinere potuissent, Officialis dixit: *Jam tu tuum caput amisti.* Generalis verò Visitator respondit: *Minimè, sed manebit in hoc carcere usque ad putredinem.* Ego consveto more tantùm hæc verba protuli: *Vias meas & animam meam DEO meo commendo: sunt enim sortes meæ in manu ejus.* In egressu Officialis dixit: *Hic deberet poenitentiam agere, damnabiles errores deserere, & gratiam implorare: ille verò nec mentionem Catholicæ religionis vult audire.* His dictis, disceserunt.

9. Augusti, Prætor urbis, Simon Topynka, cùm ad me in cellam venisset, nomine S.R.M. Judicis, tùm temporis

ægrotantis & lecto affixi, me interro-
gavit: Num velim Catholicam religio-
nem amplecti? Si sapere noluerō, me in
extremo discrimine versari. Se verò svade-
re, ut me a vitæ tempestivè consularem, ne
tandem serò pœnitentiã agere cogerer.
Apposuit: Jam tuæ res in acie novaculæ
constitutæ sunt. Ego, licet exploratum
habuerim, jam angustias mihi undiq;
esse, tamen non aliud responsum de-
di, quàm quod Baudæ solebam dare:
Me in Christiano-Evangelicâ (quam illi
hereticam appellant) religione, DEO me
juvante, perseveraturum usque ad extre-
mum vitæ halitum, paratus hodiè vel cras,
hâc vel alterâ horâ, mortem subire: minas
illas me non attingere, & nihil curare: In-
ferant quicquid lubet. Respondit: Ego
hæc omnia S.R.M. Domino Judicî narra-
bo. Discessit.

Posthæc custos carceris mandatum
accepi, ne Jesuvitis ad me ingressum
præberet. Verùm advenientibus por-
rò fores aperiebat; & illi, tantùm in li-
mine

mine stantes, quotidiè suo more me molestabant.

12. Augusti, Bauda inter alia dixit: *Maledictus omnis, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Tu confidis in homine &c. Ergò maledictus es. Respondi: Non in homine, sed in altissimo DEO confido. Bauda dixit: Mentiris in tuum caput. Dixi: Domine Baude, Ego scio, quid Spiritus Sanctus per os David dicat: Nolite confidere in Principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. Absit à me, ut confidam in homine, & corde meo à DEO recedam. Nihilominus, dic mihi, quis ille homo est, in quo ego confido? Dixit: Confidis in Saxone. Si non confideres in illo, jam pridem Catholicus factus fuisses. Ille te non liberabit, sed (usus verbis Generalis Visitatoris) manebis in hoc squalido & fœtido carcere, donec computrueris. Iterum respondi: Vias meas DEO commendo, media divinitus excitata plurimi facio, & DEUM assiduè oro, ut opus, quod cepit, ad optatum finem perducatur. Irâ incensus, abiit. Il-*

Illo discedente, usque ad stuporem admiratus sum impudentiam & levitatem Baudæ. Non erat ipsi ignota Clementissima Serenissimi Electoris Saxoniae intercessio: & tamen nunquam, vel minimam, illius mentionem fecit, sed ut diabolus quotidiè per integram horam me vexabat, potestati diaboli tradebat, & inauditis convitiis proscindebat. Ego verò, quid extra carcerem agatur, nesciebam, uxorem alloqui, videre, & num aliqua spes meæ futuræ liberationis affulgeat, nescire non poteram. O miseriam miserrimarum miseriarum miserimam!

13. Augusti, Bauda, postquam quàm plurima diaboli convitia & probra in me ejaculâsset, dixit: *Ego te ut puerum (attende Christiane Lector, ut puerum) informabam, die ac nocte cogitabam, quâ ratione te ab hæresi abducere, ad Catholicam religionem adducere, & ex inferno educere queam: sed tu noluisti. Qua-*

78

*re in extremo iudicio coram iudice Christo
te accusabo: te oportet respondere. Dixi:
Letissimo animo coram iustissimo Iudice,
Salvatore meo unico, comparebo. Certus
enim sum, illum nec mihi, nec tibi injuriam
illaturum, & credo, me in magnâ constan-
tiâ contra te staturum. Ille iracundiâ in-
flammatus, me reliquit, nec amplius
illum vidi.*

Per totum illud tempus DEUM mi-
sericordem præsentem habui, qui me
suo Sancto Spiritu illuminavit, con-
fortavit, animavit, & humilitate
Christianâ coronavit. Et licet reipsâ
exploratum habuerim, illum Baudam
(Bauda Bohemis est tentorium, ex li-
gnis & stramine extructum, quo hor-
tulani, vinitores, gregarii milites u-
tuntur) plenum fuisse infernalium ba-
siliscorum, serpentum, Scorpionum,
viperarum, bufonum, tamen ad omnia
humilimè respondebam, omnia con-
vitia, cavillationes, criminationes,
calumnias, obtrectiones, conde-
mna-

mnationes, præfenti & patienti animo perferebam. Ille sacras literas semper pervertebat, sinistrè & contra Spiritus Sancti mentem allegabat, & volebat, ut ego sic illas reciperem, sicut ab illo prolatae erant. Quotidiè loquebatur de uno vel altero fidei articulo, sed aut extra, aut contra Scripturas.

14. Augusti, ad quotidianam meae uxoris sollicitationem à S. R. M. Iudice sex Commissarii (inter quos erat Simon Topynka, urbis Prætor) ordinati, in curiam Neo-Pragensem venerunt. Qui me evocatum interrogaverunt: *Num velim heresi valedicere, & Catholicam religionem amplecti?* Quibus hilari mente respondi: *Me in religione Christiano-Evangelicâ (Spiritus Sancti auxilio) perseveraturum, etiamsi mihi crudelissima mors hodiè vel cras, hâc vel sequenti horâ, subeunda esset, sicut antea coram præfente Prætoze Novæ-Pragæ, & coram Jesuivitis sæpissimè protestatus eram.*

Illi

Illi confestim me certiozem fecerunt
de Clementissimâ Illustrissimorum
S. R. M. Locum tenentium voluntate:
Me dimissum iri, si literas (ut vocant)
Reversales d'posuero. Notarius urbis,
unus è numero illorum sex Commis-
sariorum, cognomine Macer, decre-
tum Illustrissimorum S. R. M. Locum
tenentium, supplici libello meæ uxo-
ris inscriptum, legit: *In quo S. R. M.*
Judici in Novâ-Pragensi urbe mandaba-
tur, ut ad me mitteret, & me interrogaret,
utrum velim Catholicus esse? Si noluerò, ut
Reversariis literis promitterem, me Bohe-
miam sub capitali pœnâ non ingressurum,
exceptò modò & formâ Catholicorum.
Quod cum fecero, ut me ad intercessionem
Serenissimi Saxonie Electoris ex arresto di-
mitteret. Decretum exiit ex consilio
Cancell. Boh. 7. Augusti Anno 1636.
Jam è duobus malis unum, quod mi-
nus, eligendum erat. Elegi itaq; illud,
quo nec mea conscientia, aut honesta
fama, nec proximus offendebatur.

15. Au.

15. Augusti, Prætor urbis, Simon Topynka, literas Reverforias ad meas manus tradidit, & nomine S.R.M. Domini Judicis mandavit, ut illas describerem: quod & factum. Illis Reverforiis literis inclusa erat hæc perspicua testificatio; me causâ (non alicujus criminis & facinoris, sed) religionis captum, & in carcerem conjectum fuisse. In illis autem literis nec unicam literam mutare, intermittere, addere, ausus eram aut poteram, sed, prout ad meas manus traditæ erant, sic illas describere cogebar. Et sic non meæ, sed propriè illius sunt, qui illas primus scripsit. Ego in illis describendis manum admovi, meum nomen apposui.

Sic Pater misericordiarum, & DEUS totius consolationis omnipotenti suâ dexterâ, quæ omnia mutare potest, me mortificavit & vivificavit, deduxit ad inferos, & reduxit. Opus hoc, non humanum, sed DEI est. Nemo enim

ex-

expectabat meam liberationem, sed
omnes, aut apostasiam, aut mortem.
Pro quo beneficio omnipotenti DEO,
& Serenissimo Electori Saxonæ, im-
mortales gratias ago & agam.

O Domine JESU CHRISTE, Fili
DEI vivi & Mariæ Virginis, libera nos
omnes de potestate Satanæ, Pa-
pæ & Jesuuitarum,

Amen.



Ini-

Initium exilii.

TE, pie CHRISTE, seqvor, patrias &
desero terras:

Tu mihi sis præsens consilio, auxilio.

Anchora exulum.

Exul es? ad Christum fugito, quoq; qui
fuit exul,

Ille periclorum dulce levamen erit.

Portus exulum.

Qui sine principio & fine es, Te, Jesule,
finem

Constituo exilii tristitiæq; meæ.

Hospitium exulum.

Qui Christi minimos recipit, potatq;
cibatq;,

Ille ipsum Christum suscipit atqve
cibat.


De Christi confesore.


Vincere nec vinclis possunt, nec frau-
dibus illum,


Lij In verâ constans stat pietate, fide.

*Matthias Crocinowsky, Richnovii
in Bohemiâ Christi Ecclesiæ olim Pastor.*

F I N I S.







Handwritten flourish

Jacobus

Handwritten flourish

1638

W. G. W. G.

Large handwritten flourish

78 2148



ULB Halle


3


005 129 77X



VD 77

m.u.l.






B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



CERES

CINIANI,

Hoc est,

vera & non

tio, quibus modis
cinoſki, Christi Ec-
i in Bohemiâ olim Pa-
nfeſſionis cœleſtis ve-
eribus Pontificii & Je-
o Chriſtiano 1636.
ctârunt,

*juris facta ab
eodem.*

CROCINOVVSKY,
ſti Exule.

LUTIS HUMANA
C. XLIV.

Gregorii Ritzſchii.

